

ab examinatore iuramentum eligatur, qui plus omnibus iudicatus fuerit idoneus. Et addit: Caveantque examinatores, ne quidquam propter occasionem huius examinis, nec ante nec post accipiant. Alioquin simonia vitium tam ipsi quam alii dantes incurrant, a qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocumque etiam antea obtinebant, & ad alia impoſitorum inhabiles reddantur.

Cap. XIX. Decernit sancta Synodus mandata de providendo, & gratias quæ Expectative dicuntur, nemini amplius, etiam Collegiis & Universitatibus, Senatibus & aliis singularibus personis, etiam sub nomine Indulti, aut ad certam summam, & alio quovis colore concedi: nec habentibus concessis cuiquam uti licere. Sed nec reservationes mentales, nec alia quæcumque gratia ad vacatura beneficia, nec indulta ad alienas Ecclesias vel Monasteria alicui, etiam ex Sancta Romane Ecclesia Cardinalibus concedentur, & hactenus concessa abrogata esse censentur.

Alexander Papa III. prohibet beneficia promitti ejus, qui ad hoc vivit, c. accepimus, de pactis, & c. 1. & 2. de concess. præben. In Gallia regno pro Concordatum Bononiense gratia expectativa cessare.

78. Sessione XXV. Post decreta fidei de Purgatorio, de Invocatione, Reliquiis, & veneratione Sanctorum & factis Imaginibus, pleraque admodum utilia sancita sunt de regularibus & monialibus.

Cap. I. Quo facilius ac maturius ubi collapsa est vetus & regularis disciplina, instauretur, & constantius ubi conservata est, perseveret, præcipit, ut omnes Regulares, tam viri quam mulieres, ad regulam, quam professi sunt, præscriptam vitam instituant & componant. Atque in primis que ad sua professionis perfectionem, ut obedientiam, paupertatis, & castitatis, ac si que alia sunt alicujus regule & Ordinis peculiaria vota & præcepta, ad eorum respectivè essentiam, necnon ad communem vitam, vitium & vestitum pertinentia fideliter observent. Omnisque cura & diligentia a Superioribus adhibeatur, tam in Capitulis generalibus & Provincialibus, quam in eorum visitationibus, que suis temporibus facere non præmittant, ut ab illis non recedatur: cum compertum sit, ab eis non posse ea, que ad substantiam regularis vite pertinent, relaxari. Si enim ea, que bases sunt & fundamenta totius discipline regularis, exacte non fuerint conservata, totum corrumpat edificium necesse est.

Cap. II. Nemini igitur Regularium, tam virorum quam mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere vel tenere; sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui inferiori concedere, etiam ad usum fructum, ad usum, vel administrationem, aut commendam. Administratio autem bonorum Monasteriorum seu Conventuum ad solos Officiales eorundem ad nutum Superiorum amovibiles pertineat. Mobilia vero usum ita Superiores permittant, ut eorum supellex statim paupertatis, quam professi sunt, conveniat: nihilque superflui in ea sit, nihil etiam quod eis necessarium sit, deinceps. Quod si quis aliter quidquam tenere deprehensus aut convictus fuerit, is biennio activa & passiva voce privatus sit, atque etiam iuxta sue Regule & Ordinis constitutiones puniatur.

Cap. III. Concedit sancta Synodus omnibus Monasteriis & domibus tam virorum, quam mulierum, & mendicantium, exceptis domibus Fratrum Capucinorum S. Francisci, & eorum, qui Minorum de Observantia vocantur, etiam quibus aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps eis bona immobilia possidere liceat.

Cap. IV. Prohibet sancta Synodus, ne quis Regularis sine sui Superioris licentia prædicationis vel lectionis, aut cujusvis pii operis prætextu subiciat se obsequio alicujus Prælati, Principis, vel Universitatis, vel Communitatis, aut alterius cujuscumque persone, seu loci, neque ei aliquid privilegium aut facultas ab aliis super iis obtenta suffragetur. Quod si contra fecerit tamquam inobediens arbitrio Superioris puniatur. Nec liceat Regularibus a suis conventibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. Qui vero sine prædicto mandato in scriptis obtento reperitus fuerit, ab Ordinariis locorum tamquam desertor sui instituti puniatur. Illi autem qui studiorum causa ad Universitates mittuntur, in Conventibus tantum habitent: alioqui ab Ordinariis contra eos procedatur.

79. Cap. V. Decernitur atque etiam jubetur sub oblatione divini iudicii, & interminatione maledictionis eterne, ut clausura sanctimonialium curam gerant Episcopi, in monasteriis quidem sibi subditis ex iure ordinario, aliis vero tamquam Sedis Apostolicæ delegati. Et ut nemine obſistere auso decernant, atque inobedientes sibi per

censuras Ecclesiasticas aliasque poenas compellant; & ubi opus fuerit, invocato brachii secularis auxilio.

Constitutio Papæ Bonifacii VIII. cujus est in isto capite mentio, habetur c. periculoſo, de statu Monach. in 6. In quo pariter Ordinariis locorum demandatur circa Monasteriorum etiam exemptorum clausuram Apostolicorum Legatorum auctoritas. Ibidemque Monialibus professis clausuras Monasterii egredi prohibetur, externisque ad illas ingredi nisi ex causa legitima & manifesta, cum Superioris licentia. Concilium etiam Matifconense primum can. 2. prohibet Episcopis, & quibuscumque Clericis & Laicis, nisi ex causa necessitatis, Monasteria puellarum ingredi, aut cum illis temere colloqui. Similia quoque statuta fuere Concilii Epomeensis can. 38. His suffragatur Concilii Moguntini anni 1549. can. 79. Cumque his conspirant edita Regum Galliarum: sic etenim edicit Carolus IX. in Comitibus Aurelianensibus art. XI. Omnes Abbates & Abbatissæ, Priores, Priorisse non existentes Capita Ordinum, simulque omnes Canonici & Capitula tam Regularium, quam secularium Ecclesiarum, sive Cathedralium, sive Collegiarum, subiciantur indiscriminatim Archiepiscopo, seu Episcopo Diocesis: neque ulla poterunt obtinere privilegia exemptionum a visitationibus & punitionibus criminum. Nullatenus obstantibus oppositionibus aut appellationibus. Idemque Rex per edictum anni 1571. art. 5. atque antiquior Francisci I. constitutio anni 1539. art. 1. 2. 3. & 4. & postior Henrici III. constitutio Melodunensis anni 1579. art. 1. simulque Blesensis art. 59. sanciverunt, per appellationem a morum correctione, modum canonis aut legis non excedente, non suspendi aut retardari correctionem in rebus morum ac disciplinæ, sed nihil obſistente appellatione, iudicium correctionis esse protinus exequendum. Hoc ipsum fuerat pridem sacris Canonibus definitum, cap. ad nostram, & cap. reprehensibilis, de appellat. Sed & in specie de Monialium clausuris statutum ita fuit ab Henrico III. in Comitibus Blesensibus art. 3. Admonemus Archiepiscopos, Episcopos, alicujus monasteriorum monialium Superiores, ut sollicitè clausuram monialium restitui & observari faciant; tum compellendo inobedientes per censuras, aliaque juris remedia, remotis oppositionibus & appellationibus quibuscumque. Mandamus vero nostris Officialibus, ut Superioribus postulantis operam auxiliumque ad id præstent. Neque facultas sit ulli moniali professe de monasterio egrediendi quocumque prætextu nisi ex causa legitima a Superiore suo approbata: nihil obstantibus contrariis dispensationibus aut privilegiis. Neque licebit ulli persone externa, cujuscumque sit status, conditionis, aut sexus, vel ætatis, clausuram ingredi nisi ex licentia scripto concessa Episcopi vel Superioris in casibus dumtaxat necessariis, sub canonicis poenis.

80. Cap. VI. In electione Superiorum quoruncumque, Abbatum temporalium, & aliorum Officialium, ac Generalium, & Abbatissarum atque aliarum Præpositarum, quo omnia recte & sine ulla fraude fiant, in primis sancta Synodus districte præcipit omnes supraascriptos eligi debere per vota secreta, ita ut singulorum nomina eligentium nunquam publicentur. Nec in posterum liceat Provinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoscumque titulares, ad effectum electionis faciendo constituere, aut voces & suffragia absentium supplere. Si vero contra huius decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit. Et is qui ad hunc effectum se in Provinciales, Abbatem, aut Priorem creari permisit, dein ad omnia officia in Religionem obtinenda inhabilis existat; facultateque super his concessa eo ipso abrogata censentur: & si in posterum alia concedantur, tamquam subreptitia habeantur.

Hæc Tridentina eligendi forma vetustior aboletur quam Lateranense sub Innocentio Papa III. Concilium introduxerat: ut scilicet tres de Concilio electi suffragia singulorum ac vota diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent; & referunt c. quia propter, de electione. Fraus enim multiplex per tres electos poterat effingi, libertas etiam & secretum votorum ac vocalium poterat impediri aut violari. Cui periculo recte obviatur per ejuſmodi scrutinia dudum scripta & plicata, que singuli ad communem ac in medio positam capsulam deferunt. Præterea poterat peraque intervenire dissidium in ipsa trium electione, qui vota perquirent, sicut in electione Officialis aut futuri Superioris. 81. Gallematus & Barboſa in hoc Tridentinum caput admonent, declaratum fuisse a sacra Cardinalium Congregatione Concilii abusivam illam electionis formam, ideoque nullam & invalidam, qua Prælati qui præſidet electioni, proponit ex toto Capitulo duas aut tres personas eligendas, ceteris exclusis; sit enim ceteris omnibus injuria duplex, primum libertati eligentium, quæ injuste coarctatur: deinde juri quod reliqui habent ut eligi

ut eligi possint, cum tamen sine rationabili causa, & omni excluso juridico processu, priventur voce passiva, qua eligi possunt. Præterea sub hac forma multa monopolia, partialitates & ambitus foveri simul & occultari possunt in commune damnum. Similes quæstiones in electionibus occurrentes vide plenus & fufius pertractatas in nostra theoria & praxi canonica, lib. 1. cap. 22.

82. Cap. X. Attendant diligenter Episcopi & ceteri Superiores Monasteriorum sanctimonialium, ut in constitutionibus earum admoveantur sanctimonialis, ut saltem singulis mensibus confessionem peccatorum faciant, & sacrosanctam Eucharistiam suscipiant, ut eo se salvari præsidio muniant ad omnes oppugnationes demonis fortiter superandas. Præter ordinarium autem confessorem, alius extraordinarius ab Episcopo & aliis Superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat. Quod vero sanctissimum Christi Corpus intra chorum vel septa Monasterii, & non in publica Ecclesia conservetur, prohibet sancta Synodus: non obstante quolibet indulto aut privilegio.

De confessione & communione a Monachis facienda singulis saltem mensibus, nisi ex causa forte aliqua, quam Abbati, Priori, aut Penitentiaris monasterii intimare Monachi teneantur, ut eorum iudicio vel abſtineant, vel accedant, providetur Concilio Viennense Clement. 1. §. sane, de stat. Monach.

83. Cap. XI. In Monasteriis seu domibus virorum seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum secularium, præter eas que sunt de ipsorum Monasteriorum seu locorum familia, persone tam regulares quam seculares huiusmodi curam exercentes subſint immediate in iis, que ad diſtam curam & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cuius Diocesi sunt sita. Nec ibi aliqui etiam ad nutum amovibiles deputentur, nisi de ejuſmodi consensu, ac previo examine per eum, aut ejus Vicarium faciundo. Excepto Monasterio Cluniacensi &c.

Ante Tridentinum ex constitutione Urbani Papæ III. ad curam Monasterio subjectam non Monachi, sed seculares Clerici perficiendi erant, ut scilicet plenus Episcopi dispositioni & jurisdictioni subſicerentur: c. 1. de capellis Mon. At Tridentinum etiam Curatos regulares Episcoporum correctioni & dispositioni indiscriminatim submittit in omnibus, quæ ad curam pertinent animarum.

Cap. XIII. Controversas omnes de præcedentia que sepe eum scandalo oriuntur inter Ecclesiasticas personas tam seculares, quam regulares, cum in processibus publicis, tum iis que sunt in tumulandis defunctorum corporibus, in deferenda umbella, & aliis similibus, Episcopus amota omni appellatione, & non obstantibus quibuscumque componat. Excepti autem omnes tam Clerici seculares quam regulares quicumque, etiam Monachi ad publicas processiones vocati accedere compellantur: iis tantum exceptis, qui in strictiori clausura perpetuo vivunt.

84. Cap. XV. Declaratur irrita & invalida omnis religioſa professio emissa nondum expleto decimoſexto ætatis anno. Ante Synodum Tridentinam ætas ad professionem requisita, eadem definita fuerat, quæ ad inendas nuptias exigebatur: in feminis scilicet duodecim completorum annorum, & in maribus quatuordecim annorum expletorum: c. significatum, & c. cum virum, de regularibus. Plura superius requiritur, quæ congesti ad can. 22. Vormatiensis Concilii. Comitibus Blesensibus Henrico Rege III. eandem cum Tridentina Synodo ætatem postulant ad professionem istam.

Cap. XVI. Nulla quoque renunciatio, aut obligatio ante professionem facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque cause valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii, fiat intra duos menses proximæ ante professionem, ac non alias intelligatur effectum suum sortiri nisi secuta professione: aliter vero facta etiam si facta sit cum huius favoris expressa renunciatione etiam jurata, sit irrita & nullius effectus (Et paucis interjectis sic prosequitur: Sed neque ante professionem, excepto vitium & vestitum novitii vel novitiæ illius temporis, quo in probatione est; quocumque prætextu a parentibus, vel propinquis, aut curatoribus, ejus Monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur: ne hac occasione discedere nequeat, quod totam vel majorem partem substantiæ sue Monasterium possideat, nec facile se discesserit, id recuperare possit. Quin etiam præcipit sancta Synodus sub anathematis pena dantibus & recipientibus, ne hoc ullo modo fiat. Et ut abentibus ante professionem omnia restituatur

qua sua erant. Quod ut recte fiat, Episcopus etiam per censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat.

85. Cap. XVIII. Anathemati sancta Synodus subſicit omnes & singulas personas, cujuscumque qualitatis & conditionis fuerint, tam Clericos quam laicos, seculares vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fulgentes, si quomodocumque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliquam quancumque mulierem invitam, præterquam in casibus a jure expressis ad ingrediendum monasterium, vel suscipiendum habitum cujuscumque Religionis, vel ad emittendam professionem: quique consilium, auxilium, vel favorem dederint: quique scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quocummodo eidem aſſui vel presentiam, vel consensum, vel auctoritatem interpoſuerint. Simili quoque anathemati subſicit eos, qui sanctam virginem, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quocummodo sine iusta causa impederint.

Eandem ob causam quod proxime præcessit cap. 7. constitutum est, ut si puella que habitum regularem suscipere voluerit, major annis duodecim sit, non ante eum suscipiat, nec postea ipsa vel alia professionem emitat, quam exploraverit Episcopus, vel ejus Vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter. Obligatque Præfectam monasterii, ut ante mensem vestitus aut professionis Episcopo præmoneat sub pena suspensionis ab officio suo, quando Episcopo ipsi videbitur. Hoc idem de exploranda futura sanctimonialis per Episcopum voluntate ante habitum susceptionem, & pariter ante votorum solemnitatem, decernitur in comitiis Blesensibus sub Henrico III. Francorum Rege art. 28.

86. Cap. XIX. Quicumque Regularis prætentat se per vim aut metum ingressum Religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum esse, aut quid simile, vel illicque habitum dimittere quacumque ex causa, aut etiam cum habitu sine licentia Superiorum discedere: non audiatur nisi intra quinquennium tantum a die professionis: & tunc non aliter nisi causas, quas prætendit, deduxerit coram Superiore & Ordinario. Quod si ante habitum sponte dimiserit, nullatenus audiatur, nec ad allegandum quancumque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, & tamquam apostata puniatur.

Praxis statim ab ipſo Concilio ubique invaluit, ut ejuſmodi religioſus reclamans statim audiatur, etiam si habitum dimiserit: quia hoc plerumque necesse est, ut suæ ad reclamandum libertati prospiciat, qui statim a fratribus agnosceretur, & quod solet fieri, in quibusdam rigidioribus Ordinibus interiret, & poenalis carcere inclusus in pane & aqua ad poenitentiam adactus causam suam agere prohiberetur. Tum quia sic occurritur gravi hominum scandalo, dum conspicitur quis in habitu regulari sine comite per devia fugiens, aut in diverſoribus degens, moribus fortasse inconditis ac dissolutis. Atque ideo hunc etiam in habitu seculari audiendum admonent Martinus Navarra comment. 4. de regularib. n. 77. & 78. Azorius tom. 1. lib. 12. cap. 4. in fine, Lessius lib. 2. de justit. c. 41. n. 64. Bonacina tract. de clausuris q. 2. p. 10. difficult. 3. & alii communiter. 87. In ista XXV. eademque postrema sessione, decretis de regularibus subſciuntur decreta unum & viginti de Reformatione, quorum primum reformationem intendit principalium membrorum ac Principum Ecclesiæ, scilicet Episcoporum, ex quorum ceu capitum influxu, & regimine atque exemplis reliquorum membrorum Ecclesiæ corpus componentium salus dependet. Quapropter paratensis continet, quæ præcipua illorum, qui Ecclesiis præſunt, officia his verbis complectitur.

Cap. I. Optandum est, ut iis, qui Episcopale ministerium suscipiunt, que sint sue partes agnoscant, ac se non ad labores & sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant: nec enim dubitandum est, & fideles reliquos ad religionem innocentiamque facilius inflammandos, si Propositos suos viderint non ea que mundi sunt, sed animarum salutem ac celestem patriam cogitantes. Hæc cum ad restituendam Ecclesiasticam disciplinam præcipua esse sancta Synodus animadvertat, admonet Episcopos omnes, ut secum ea sepe meditates, factis etiam ipsis ac vita actionibus, quod est veluti perpetuum predicandi genus quoddam, se muneri suo conformes ostendant: in primis vero mores suos omnes ita componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac que nos tantopere commendat Deo, sanctæ humilitatis exempla petere possint. Quapropter exemplo Patrum nostrorum in Concilio Carthaginiensi, (Concil. Carth. IV. c. 15. Concil. Tolet. III. c. 7. Concil. Antiochen. c. 25. Can. 39. & 75.) non